



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 1. De comparatione originum ad essentiam, relationes, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

negatio respectu Dei, vt sic, respectu autem Patris est quodammodo priuatio, quia supponit subiectum producibile saltem secundum communem rationem personæ. Atque hoc totum dicit notio *ingenitum*, scilicet, personam improducibilem, & ita innascibilitas dicit illam negationem non in quocunque, sed in aliqua persona, sicut finitas dicit curuitatem in naso. Fuitque hic conceptus necessarius, vt possimus concipere Patrem in ratione personæ, priuquam generet. Nam hic conceptus necessarius nobis est ad constitutionem, & distinctionem personarum explicandam, vt libro 1. tactum est, & in 7. consummabitur: vbi etiam ostendimus, illum conceptum non posse esse nisi negatiuum, seu priuatiuum in sensu iam dicto.

Vltimo concluditur ex dictis notionum numerus, sunt enim quinque, & non plures, neque pauciores, vt probatum est, simulque communibus obiectionibus est satisfactum. Solus Gabriel 1. distinctione 28. An notiones articulo tertio, non permittit, vt notiones simpliciter dicantur esse plures, in quolibet numero, solum quia non omnes distinguuntur inter se realiter, sicut dixerat etiam de spiratione actiua respectu Paternitatis & Filiationis. Sed hoc facile refellitur, maxime in præsentem, quia Notio, vt dixi, formaliter inuoluit respectum rationis, vel denominationem extrinsecam, quæ multiplicari potest non multiplicatis rebus. Imo adiungi potest conditioni alicui, quæ non fit res aliqua, sed priuatio, vt satis explicatum est.

*Finis Libri Quinti de Trinitate,*

## INDEX CAPITVM LIBRI SEXTI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. De comparatione originum ad essentiam, relationes, &c.  
 Cap. 2. Satisfit nonnullis difficultatibus.  
 Cap. 3. Vtrum actus notionales necessarij sint.  
 Cap. 4. An actus notionales sint liberi, vel voluntarij.  
 Cap. 5. De potentia ad actus notionales.  
 Cap. 6. De terminis formalibus originum.  
 Cap. 7. De modo loquendi de originibus.

## LIBER SEXTVS DE ORIGINIBVS, ET ACTIBVS NOTIONALIBVS.

**Q**UOD in Deo sint origines, & notionales actus ex dictis in libro primo sufficienter intelligitur. Ibi enim ad declarandum personarum numerum necessarium fuit ostendere, per processionem multiplicari, ac proinde dari in Deo processionem ad intra, quæ idem sunt quod origines, quas idem esse cum actibus notionalibus statim ostendimus. Hic ergo declarandum superest imprimis, quid sit origo in Trinitate, & quotuplex, quomodo ve ad diuinas relationes, & actus diuini intellectus, & voluntatis comparetur. Deinde dicitur de Potentia ad has origines, quam notionalem etiam vocant, ac consequenter de termino, vel adæquato, vel formali ipsius originis. Tandem vero modos prædicationum, quæ ex originibus consurgunt, declarabimus.

### CAPVT I.

*Origines, & notionales actus quomodo idem sint inter se, cum essentia, & relationibus.*

**S**upponimus, hæc omnia non distingui in re ab essentia diuina. Quia supra late ostensum est, nihil posse esse realiter intra Deum, quod ab essentia Dei actualiter distinguatur in re ipsa. Vnde fit, vt ratione essentia, seu in illa, omnia hæc habeant inter se vnitatem, seu identitatem, nam hæc identitas, etiam inter relationes oppositas, & distinctas, inuenitur. Quod ergo inquirimus est, cum quo habeat origo immediatam identitatem, quam vocamus etiam adæquatam, seu conuertibilem, qualem habent ea, quæ ita inter se sunt idem, vt cum quocumque vnum est idem, fit etiam aliud, & à quocumque vnum distinguitur, distinguetur aliud qualem identitatem habet relatio cum persona, non vero cum essentia, vt in superioribus declaratum est. Auctores ergo nihil communiter distinguere videntur

Origines & notionales actus idem sunt 10.

Origines esse idem cum relationibus.

Videntur inter actus notionales, & origines, sed putant has voces esse synonymas. Nam origo actio quædam est, vel saltem, vt talis concipitur & significatur, nihil enim est aliud, quam generatio, natiuitas, &c. Est ergo origo quidam actus, & non est communis omnibus personis, quia non omnes generant, nec nascuntur, & cetera. Ergo sunt actus proprii, quibus personarum proprietates indicari possunt: sunt ergo actus notionales, quia notio nihil aliud est, quam signum manifestum personæ: & ideo quidquid est proprium personarum sub ea ratione notionale dicitur. Vnde vterius inferunt, hos actus in re idem adæquate esse cum relationibus, licet ratione distinguantur, quia relationes, vt formæ permanentes, vel asfistentes, origines, vt viæ, & quasi in fieri significantur. Quæ doctrina recte intellecta vera est, existimo tamen, in illa voce, *actus notionalis*, posselater aliquam æquiuocationem, quam distinguere necesse est, quia in vno sensu est vera illa identitas, & non in alio.

3.

Actus ergo (iuxta ea, quæ dixi libro primo) quo producitur diuina persona, dupliciter accipi potest, scilicet, per modum principij quo, vel per modum actualis productionis, seu viæ. Primo modo significatur nomine inlectionis, aut dilectionis, ostendi enim loco citato, hos actus esse principium proximū quo personæ producunt, & ex dicendis infra de potentia ad origines, id clarius constabit. Posteriori autem modo significantur actus nominibus generationis, dictionis, & spirationis. Tradiditque hanc distinctionem expresse Henric. in summ. articulo 54. quæstione decima, & quodlibet. 6. quæstione 1. & est consentanea D. Thom. 1. part. quæstione 34. articulo 1. quatenus ratione distinguit intelligere, & dicere, & quæstione 27. articulo 3. & 5. vbi non dicit, processiones diuinas, seu origines esse ipsum intelligere, aut velle, sed esse secundum operationes intelligendi, & volendi. Scotus etiam in 1. distinct. 2. quæstio. 4. & 7. & quodlibet. 1. articulo 2. distinguit actus ipsos immanentes ab originibus, quamuis, non posuerit illos, vt principium quo ipsarum originum, de quo satis citato loco disputatum est. Vbi etiam diximus, ipsummet actum intelligendi, notionaliter appellari, quatenus Pater per illum producit, & non Filius, sicut potentia etiam generatiua sub hac voce quid notionale est. Actus ergo notionalis hoc modo sumptus non dicit de formali relationem, nec potest cum illa adæquate identificari, quia actus intelligendi semper est quid absolutum, & notionaliter sumptus non variat rationem formalem inlectionis, sed connotat modum existendi in Patre sine origine, & coniunctum esse Paternitati, sicut supra dictum est, & idem infra dicemus de potentia generandi, de qua eadem est ratio. Igitur illa doctrina communis, quam reuli, intelligenda est de actu, prout significat actionem seu viam, qui actus non connotatiue tantum, vt sic dicam, sed formaliter, & intrinsece notionalis est, & ideo cum relatione habet adæquatam identitatem, vt ex dicendis constabit.

4.

Superest autem respondendum, quæ origo, cum qua relatione habeat prædictam identitatem. Ad quod declarandum supponendum vterius est, sicut in productione creaturæ actionem, & passionem distinguimus, ita in Deo distingui nostro modo concipiendi originem actiuam, & passiuam, quales sunt generatio, quæ per modum actionis significatur, & natiuitas, quæ significatur per modum passionis. De origine ergo passiuæ, quæ est proprius actus passiuus (vt sic dicam) personæ productæ, omnes docent, esse in re omnino idem cum relatione eiusdem personæ productæ, scilicet natiuitatem cum Filiatione, & processione cum relatione Spiritus sancti. Quia origo passiuæ nihil aliud est, quam via ad terminum productum, quatenus ad illum tendit, hæc autem via etiam in rebus citatis nihil aliud est, quam ipse-

Origo passiuæ & relatio personæ productæ idem.

met terminus, vt est in fieri, ad eundem ergo modum diuina concipimus. Hac tamen obseruata differentia, quod licet via, seu passio, & terminus in creaturis modaliter distinguantur, in Deo non habet locum illa distinctio, propter simplicitatem, & quia ibi non est proprium fieri, quantum ad imperfectionem, quam importat, sed ita concipitur, ac si esset. Confirmatur, quia passiuæ origo est realis processio: ergo distinguitur realiter à principio producente: ergo est idem adæquate cum persona producta. Tandem, origo passiuæ est via ad terminum, ergo est illi proportionata, ergo sicut terminus est persona relatiua, ita origo est via relatiua, vt sic dicam, ergo nihil aliud est, quam ipsamet relatio prout in produci.

Rursus de origine actiuæ etiam est communis sententia Theologorum esse idem adæquate cum relatione personæ producentis, generationem scilicet cum Paternitate, productionem Spiritus sancti cum spiratione. Teneo Magist. in 1. dist. 26. vbi dicit. *Generatio & natiuitas alijs nominibus sunt Paternitas, & Filiatione*. Quæ verba refert, & approbat D. Thom. 1. p. qu. 41. ar. 1. ad 2. Idem Bonauentur. dist. 26. qu. 3. Dur. qu. 2. & distinct. 13. quæstio. 2. & vtroque loco Augustinus, Gabr. Capreol. Scot. dist. 28. quæstio. 2. Argentina distinct. 27. quæstio. 1. Ferr. 4. contra gent. cap. 26. Caiet. Torres, & ceteri moderni dicta quæst. 41. artic. 1. Qui omnes consequenter aiunt, generationem actiuam & passiuam inter se realiter distingui. Imo hinc confirmant suam sententiam, quia iuxta sententias Patrum, quas libro sequenti referemus, personæ non solum relationibus, sed etiam originibus distinguuntur, ergo oportet, origines oppositas, quales sunt actiuæ, & passiuæ, quæ inter se distingui, ac relationes illis correspondentes: alias non possent distinguere personas, ergo vnaquæque origo est idem cum relatione illi proportionata.

Secundo consequenter inferunt, origines actiuas inter se non distingui realiter, quia non distinguuntur à relationibus personarum producentium, sed cum illis adæquate sunt idem, supra autem ostendi, quæ etiam confirmant intentum, quia generatio, & spiratio non magis inter se opponuntur, quam Paternitas, & relatio spiratoris: ergo non magis distinguuntur inter se: ergo neque ab ipsis relationibus. Tandem Diuus Thomas supra hac ratione totam sententiam confirmat, quia in creaturis actio solum dicit mutationem cum relatione, ergo ablata mutatione nihil potest esse actio, nisi relatio: sed à diuinis originibus omnis mutatio excludenda est, ergo nihil manet, quod possit esse generatio, nisi relatio ipsa Paternitatis. Quod potest confirmari, quia generatio, & Paternitas non opponuntur: ergo nec distinguuntur.

CAPVT II.

Tractatur, & expeditur difficultas circa origines actiuas.

Circa propositam sententiam de adæquata identitate inter relationem principij, & originem actiuam nonnullæ difficultates sunt, quas expendere necesse est, vt resolutio melius intelligatur. Prima est, quia in creaturis actio, & passio non distinguuntur à termino producto, & consequenter, nec inter se, (realiter loquimur) quia fieri ipsius termini duplicem habet respectum, vnum ad terminum, in quem tendit, & sic vocatur passio, seu fieri passiuum, alium ad principium, à quo egreditur, & sic vocatur actio, ergo eadem proportionem in diuinis eadem via ad Filium habet vtrumque respectum: ergo eadem, vt tendit ad terminum, erit natiuitas, & vt est à principio, erit generatio. Et